e-codices

Nec desunt ad Somni celeberrimum nomen grauissimor=
um testimonia virorum, atque in primis quid clarissi=
mus ille scientiæ lumen, sapientiæ flumen, elo=
quentiæ fulmen Seneca expertus canat audiamus.
Tuque ô domitor Somne malorum, requies animi, pars huma=
næ vitæ melior. Qua de causa Poëtæ poëticis suis
fictionibus rem adeo auxêre, atque extollêre, ut Somnum
velut Deum summum Maximumque elegantissimis carminum
versibus celebrarint. Tanta quoque auctoritatis Somnus
apud Veteres erat, ut non dubitatum fuerit, vel cer=
tissimam ei dignitatem, quin imo divinitatem assignari.
Qui quæcunque ex rebus commodum capiebant, eas ve=
nerabantur ut numina, è quib. unum ita cecinisse
manifestum est: Somne ~~quies~~ quies rerum placidissime
Somne Deorum, pax animi, quem cura fugit, qui cor=
pora duris fessa ministerijs mulces, reparasque labo=
ri. Magnum utique, et Audit. spectatiss. vel maius
nomen attribui Somno non potuit. Igitur, quæ illius
forma, species, seu imago fingatur intueri nomini
non placeat. Philostratus in imagine Amphiarai

ita

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 352v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/352v)